



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1640.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**

mio zelo cum doctrina & prudentia con-  
juncto, verbis & scriptis institit, ut Carolus  
Rex Catholicam Religionem profiteretur,  
pollicitus illi à summo Pontifice auxilia  
non modica contra Puritanos & Calvini-  
stas , sed ob insidias & furorem tumultu-  
antium sectariorum primo latere , tum  
claim ex regno profugere coactus fuit,

*A N N U S 1640.*

**H**ortatu summi Pontificis Ferdinandus  
Imperator comitia imperialia indicit  
Ratisbonam pro ineundis consiliis & ra-  
tionibus componendæ pacis in Germania,  
quo etiam ipse ad auspicandum opus feli-  
cius proficiscitur mense Junio.

Amoto à Praefectura militari Gallasso ex-  
ercitibus cum suprema potestate præficitur  
Leopoldus Archidux Frater Imperatoris ,  
sub cuius auspiciis ipso adhuc mense Fe-  
bruario ductus in Suecos miles , & primo  
statim impetu expugnatum colinum,& Re-  
gio-Græcium, recepta Clumizia, decemque  
turmæ equitum hostilium ad internecio-  
nem deletæ, occupato deinde Leutmerizio  
& Brandisio totâ Bohemiâ exactus Banne-  
rue Suecorum Polemarchus. Demum e-  
tiam crescentibus in dies palmis in mani-  
bus

bus Archiducis ad extremam usque Visurgim rejectus virtute Hazfeldii & Piccolominei.

In tractu Rheni & Regionibus finitimis varia fuit fortunæ facies nunc vincentibus Bavaris nunc præalentibus Weinmarienis

Königsmarckius prudentiâ & fortitudina Francorum exturbatus ex Franconia semel iterumque cæditur à Bavaris & Saxonibus.

Mense Mayo graviter tumultuatum in Catalonia. Palatium Regium incensum, Pro-rex in frustra concisus, ministri Regii nullo discrimine passim trucidati, ejuratâ insuper Hispano fide Gallus in vota, opem & tutelam vocatus.

Eodem anno Lusitani proceres exosi imperium Olivarii, ejusque Secretarii Vasconcelli unanimi ferè animorum consensu in Regem sibi eligunt Joannem IV. Ducem Brigantiae progeniem ex Odoardo Fratre olim Henrici Regis, eumque intentatis minis ad sceptrum acceptandum adigunt. Die igitur 6. Decembris ingressus Ulyssiponem proclamat Rex Lusitaniae Joannes Dux Brigantinus, approbante illico factam electionem faustis acclamationibus utroque Orbe.

D 5

In

In Italia Comes Harcourtius Gallus Leganesium Hispanum cum clade 300. obſidionem Casalensem ſolvere cogit, & Taurinum paulo post expugnatum vicit in-  
greditur.

Constantinopoli mense Februario mor-  
tuus est anno ætatis 32. & imperii 17. Amu-  
rathes IV. Turcarum Imperator ex vino  
contra votum ſuum Mahometi coram Mu-  
phti nuncupatum, intemperantius hausto;  
ſuccedebat ei Frater Ibrahimus ingenio stu-  
pidus, & jam in Carcere addictus neci, qui  
timorem non posuit, niſi dum cadaver fra-  
tris vidit.

Londini die 3. Novembr. coagit Senatus  
Regem ſuum ad retractandam formulam,  
quā Scotos rebelles appellārat, eidem jus  
vestigium ademit, edicta contra Regis  
ministros promulgavit, instituit contra E-  
piscopos liturgiam novam, & Catholicos  
veruit exhibere reverentiam nomini Iefu,  
ſurgere ad lectionem Evangelii & imagi-  
nes Deiparæ in templis exponere.

*ANNO 1641.*

**M**ense Januario Banerius Archistrate-  
gus Suecorum irruptit in Franco-  
niam & Palatinatum ſuperiorem, & captâ  
nullo